1 Em. & Reu. Dñe. Licet nouitates per Reuerendiſs.D.Archiepum Mechlinienſem excitatæ,fuerint,ex mandato Suæ Sanctitatis, amicabiliter compoſitæ, interuentu Illuſtriſs.D.Fauoriti (vt ipſe teſtabitur) mediantibus, pro D. Archiepiſcopo, D. Franciſco Vianen Doctore Louanienſi, (qui aſſeruit, ſe ad id habere mandatum ſpeciale) & pro Regularibus,R. P. Mag. Chriſtiano Lupo, nihilominus D. Archiepiſcopus noluit ſtare capitulis ſcripto exaratis coram dicto D. Fauorito, negans ſe eiuſmodi mandatum à D. Vianen aſſertum dediſſe; ideò deputata eſt particularis Congregatio, vt ab ea deciderentur tria puncta controuerſa.

Primum: an, non obſtante Decreto D. Archiepiſopi, (quod datur *Summ. num.* 1.) in Proceſſionibus (quæ ſemel, aut iterum in anno ſolent fieri extra ſepta Monaſterij,cum conſenſu eorum ad quos ſpectat)poſſint,iuxta antiquam, & immemorabilẽ conſuetudinem in Belgio ſeruatam, deferri Imagines B.Virginis,aut aliorum Sanctorũ;quæ à multis retrò annis circumlatæ fuerũt,& Sanctorum Reliquiæ, cum eodem SS.Sacramento, ſine D.Archiepiſcopi licentia?

Secundum, an liceat Regularibus, conſormiter dictæ conſuetudini, in proprijs Eccleſijs adorandum exponere, conſuetis diebus, & horis, Auguſtiſſimum Eucharistiæ Sacramentum, ſine D.Archiepiſcopi licentia?

Tertium, an Dominus Archiepiſcopus in collatione Ordinis Presbyteratus, & benedictione Abbatiali, queat cogere Regulares, tam Canonicos Præmonſtratenſes, quam Mendicantes, & alios exemptos ad ſibi promittendam obedientiam; & Superiores eorumdem, vt in litteris præſentatorijs ſuorum ſubditorum ad Ordines ſuſcipiendos, & approbationem pro Confeſſionibus, ac licentiã pro Concionibus,eum ſalutent cum his verbis: *Debitam obedientiã*?

2 Ante omnia proteſtantur Regulares, quod nulla ratione intendant authoritatem Illuſtriſs. D. Archiepiſcopi impugnare, nec quidquam ipſi debitæ reuerentiæ ſubtrahere; ſed ſolùm Ritus antiquos Belgij, iura ſuarum Eccleſiarum, imò ipſius Populi Belgici, eorumque exemptionem intra modeſtiæ cancellos propugnare, ad quæ eos ſub peccato teneri demonſtrat Solorzanus *de Iure Indiarum tom.2.lib.3.cap.16.num.89.* vbi, poſt varios Authores, addit, illorum negligentiam, vel renunciationem ſtatui Eccleſiaſtico, imò, & ipſi Summo Pontifici eſſe iniurioſam.

3 Et quoad duo prima dubia, præmittunt, vigere in Belgio conſuetudinem antiquiſſimam, & ab immemorabili introductam, ſine licentia cuiuſquam exponendi in Eccleſijs Sæcularibus, & Regularibus, certis diebus, & horis Auguſtiſs. Euchariſtiæ Sacramentum venerationi fidelium, cum decenti luminum copia, & faciendi ſemel, atque iterum ſingulis annis Proceſſionem ſolemnem, in qua cum Sanctiſs. Euchariſtia, defertur Imago Beatiſs. Virginis Mariæ, vel alicuius Sancti (quem Ciuitates, vel Oppida habent pro Protectore) hoc ordine: Primò, defertur Crux, quam immediatè ſequitur pars Cleri Sæcularis, aut Regularis; deinde Imago Sancti; poſtmodum reliqua pars Cleri cum Eccleſiaſtico apparatu,quem ſequuntur multi ſæculares cum facibus accenſis, immediatè ante Sanctiſs. Sacramentum à Sacerdote ſub baldachino delatum, comitantibus Diacono, & Subdiacono, præcedentibus Thuriferarijs.

4 Qua conſuetudine antiquiſſima non attenta,D.Archiepiſcopus Mechlinienſis 29. Auguſti 1674. promulgauit Decretum; quo *omnibus Rectoribus Eccleſiarum &c. mandat, vt, conformiter Sacri Concilij Tridentini Decretis, nonniſi rariſſimè, & in arduis cauſis pacis, & publicæ neceſſitatis, Venerab. Sacramentum publicæ venerationi exponant, nec aliquas Sanctorum venerandas Reliquias, aut Imagines, etiam B. Mariæ Virginis, vnà cum ipſo Sacramento circumferant; vt populi non diſtrahatur ad plura deuotio, & vt vni ſoli Deo, qui debetur in ſolidum, ſuus reddatur honor, & gloria.* in ſum: Num: 1.

5 Occaſione cuius Decreti ortum eſt magnum ſcandalum Bruxellis in feſto S. Michaelis Protectoris; nam cum in Proceſſione ſolita (cui intereſt Magiſtratus, & alij Primates) Clerus Eccleſiæ dicti Sancti recuſaret eius Statuam iuxta antiquiſſimum vſum,deferre cum Sanctiſſimo Sacramento; populus impatiens

 pariens

patiens istius nouitatis, cœpit obmurmurare, & vociferari contra eiusmodi Decretum, & illius authorem; ideò Magistratus vrsit, vt Statua Sancti Protectoris circumferretur; quod cum non potuisset impetrare, indignatus recessit à Processione, cum alijs Primoribus, & maiori parte populi, volebatq; sec um abducere Regulares ibi præsentes; qui, obsequentes D. Archiepiscopo (vt ipsemet fatetur in rationibus suis artic. 12. dandis in *Summ. num.* 5.) Processioni interfuerunt.

6 Vnde populus recogitans, quæ ab Iconoclastis facta fuerant centum annis antè Bruxellis, Antuerpiæ, & in omnibus alijs Vrbibus Belgij, clamabat, breui illa esse iteranda, & Imagines ex Ecclesijs esse eijciendas; si enim, inquiebat, Imagines Sanctorum cum Sanctiss. Sacramento in Processione permitti nequeunt, illæ etiam ab Ecclesijs sunt eliminandæ: Nos breui futuri sumus Hæretici &c. Magis autem irritabatur ex dicterijs Militum Hollandorum exultantium, & exprobantium, quod iam Catholici incipiebant agnoscere suum errorem; quod breui abrogaretur Imaginum vsus, & Missæ omitterentur, vt constat ex sex attestationibus nonaginta quinq; Ciuium Bruxellensium, Magistratus Alostensis, & aliorum datis in *Summ. num.* 2.

7 Quæ cum fuissent exposita Excellentiss. D. Comiti de Monterey, tunc Gubernatori Generali, per libellum supplicem exhibitum à Magistratu *Summ. nu.* 3. Is, ad anteuertendum imminentem tumultum, auditis votis Consiliorum Status, & Priuati, per litteras scriptas 4. Octobris eiusdem anni 1674. & datas in *Summ. nu.* 4. mandauit Capitulo Sanctæ Gudulæ, vt septima Octobris facerent Processionem cum delatione Sanctiss. Sacramenti, & Statuæ S. Michaelis.

8 Postmodum à D. Archiepiscopo accepit rationes, ob quas, is nolebat deferri dictam Statuam, quæ dantur in *Summ. num* 5.

9 Et facta omnium relatione Reginæ tunc Regenti, missisque ad eam votis sex primariorum Theologorum, & Consilij Status; Illa, consulto S. Inquisitionis Officio, & Consilio Belgij Matriti residente, iussit omnia communicari Illustriss. D. Nuntio, *vt pleniùs edoceretur de ista controuersia, & malis ex ea impendentibus à Sua Sanctitate procuraret remedium*, vt patet ex litteris datis 23. Iunij 1675. ad dictum Gubernatorem, vbi etiam dicit, *quod Archiepiscopus nouitatem introducere voluerit, contra vsum, cum satisfactione zelantiorum Catholicorum, ab immemorabili tempore seruatum, &c.* vt *in Summ. num.* 6.

10 Quę nouitas eo maiorem perplexitatem in animis populorum pariebat, quod paulò ante illud Decretum, in Belgio aliæ affines præcesserant, & adhuc permanent, circa administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, dilationem absolutionis vsque ad impletam satisfactionem, denegationem illius relapsis in aliquod mortale priùs commissum, imminutionem cultus Beatiss. Virginis, & Sanctorum; & distributa fuerant idiomate Gallico, & Flandrico in omnibus locis Belgij, *Monita salutaria Beatiss. Virginis ad suos indiscretos cultores*; quæ tale virus effuderant, vt etiamnum *vix credibile sit, quomodo conturbentur conscientia Catholicorum, & lætentur Hæretici, qui se iactant, Papistas paulatim ad illos deflectere, D. Virginem parui fieri, Sanctos, & Imagines Sanctorum, eorumq; Reliquias contemni, &c.* Sunt verba litterarum alicuius primarij Ministri scriptarum ad quemdam in Vrbe existentem, vt de illis Sua Sanctitas moneretur, vt ex epistola, quæ datur.

11 Vt istis malis tunc occasione dicti Decreti subortis, & alijs præuisis obuiaretur, D. Gubernator Generalis voluit vt Regulares istius Decreti cassationem à Sancta Sede postularent, eorumque libellum supplicem misit ad Eminentiss. D. Cardinalem Nithardum, tunc Oratorem Suæ Catholicæ Maiestatis, vt eum porrigeret sanct. mem, Clementi X.

12 Cum ijs non obstantibus, D. Archiepiscopus persisteret in suo Decreto, nolletque permittere, vt Clerus Ecclesiæ Montis Frigidi Bruxellis, nec Confratres S. Rosarij Oppidi Alosten. deferrent Imaginē Beatiss. Virginis in solitis Processionibus annuis, ill[illegible] querelas deposuissent, D. Gubernator Generalis, conformans se intentioni Reginæ Regentis ordinauit, nihil esse innouandum.

13 Et pariter Consilium Priuatum, ad instantiam Confratrum Alosten. S. Rosarij, communicatis priùs illorum rationibus D. Archiepiscopo, visaque eius

eius ad illas responsione, ad ipsum dedit litteras nomine Regis die quarta Octobris 1675. in quibus sequentia rescripsit: *Viso responso vestro ad dictum libellum supplicem &c. Vobis indicandum duximus, nos congruum arbitrari, vt Clerus, & populus dicti loci relinquatur in antiquo vsu instituendi Processionem, & nulla circa id introducatur nouitas; cum etiam Regina Mater nostra, suis litteris datis ad Gubernatorem Generalem harum Ditionum 23. Iulij proximè praeteriti declarauerit, se ita velle, & sibi displicere id quod voluistis immutare, illudque* nouitatem appellauit; *quam non vult radicem agere &c. Summ. num. 7.*

14 Capitulum verò Collegiatæ S.Petri Louanij, cum Magistratu, Rectore Vniuersitatis, & Doctoribus Facultatum Sacræ Theologiæ, Iuris, & Medicinæ; (quia D.Archiepiscopus eis negauerat licentiam, imò ipsis expressè prohibuerat ne deferrent Imaginem Beatiss. Virginis) ad præpedienda mala supra memorata, curauit illo anno, & sequentibus Processionem fieri more solito; & iste vsus vsque in præsentem diem perseuerat in istis Ecclesijs, & pluribus alijs istius Dioecesis Mechlinien.

15 Religiosis autem Mendicantibus (qui vltra Processionem infra Octauam Corporis Christi, sunt in possessione immemorabili quotannis faciendi vnam, atq;alteram extra septa Monasterij, cum SS.Sacramento,& Imagine,aut Statua vel Beatiss. Virginis,vel alicuius Sancti, idq;defectu territorij,nequeunt absq; consensu Parochi, vel Ordinarij) illum primis annis constanter negauit,etiam Minoritis S.Francisci in solemnitate Beatificationis Martyrum Gorcomensium in Mense Iulij 1676. licet anno 1618. (dum eorum Reliquiæ ex Hollandia ad ferrentur, & nondum essent Beatificati) illius Prædecessor solemnissimam fieri permiserit, in qua delatæ sunt Statuæ Beatiss. Virginis, & S. Francisci, necnon Reliquiæ Martyrum, & postea Sanctiss. Sacramentum, vt videre est in Historia Seraphica impressa Louanij anno 1628. Quæ negatio toti Europæ innotuit; quia Gazettarius Amstelodamensis in foliolo impresso eodem anno 1676. scripsit, *quod D. Archiepiscopus qui res alio modo, quam ipsi* (Minoritæ) *accipit, id recusauerit, propter rationes nondum notas*, vt in *Summ. num.* 5.

16 Etiam Dominicanis petentibus vt possent in Processione facienda ipso festo S. Dominici deferre Venerabile Sacramentum, sine Imagine Sancti, (vti semper fuerat in vsu) noluit permittere, sed vt solam Imaginem Sancti (quod prius nunquam factum fuerat) deferrent vt in *Summ. num.* 9.

17 Postmodum Augustinianis anno 1677. concessit vtriusque circumgestationem, *ob horum temporum calamitatem, & necessitatem publicam*, vt in *Summ. num.* 10. Attamen (licet perseuerarent eædem calamitates) Carmelitis idipsum verbo, & scripto humillimè efflagitantibus, tunc, & anno sequenti pernegauit; sicut & præsenti anno 1679. licet à Secretaria Status ipsi scriptum esset, vt nihil innouaret, & mitiùs cum Regularibus ageret; ac S. Congregatio Sancti Officij ipsi scripsisset, vt solitam Processionem die festo Scapularis in septem Conuentibus in ista Diœcesi sitis permitteret, Illustrissimusque D. Internuntius eum sæpiùs id rogasset; qui, visa eius tenaci renitentia, ordinauit dictam Processionem fieri; &, quia D. Archiepiscopus, non obstantibus dictis litteris, sibi traditis, per suũ Archipresbyterum Louaniensem illam fieri prohibuerat, D. Internuntius coactus fuit obtinere assistentiam D. Gubernatoris Generalis, vt patet in *Summar. numer.* 11. factaque fuit Processio cum concursu extraordinario, & summa exultatione populi, quæ quinque annis omissa fuerat.

18 Ob hunc recursum ad S. Sedem grauiter offensus fuit Regularibus D. Archiepiscopus, qui cœpit quærere modos, vt eos ad sibi obediendum compelleret; nam nullum ipsorum voluit Sacris Ordinibus initiare, aut ad Confessiones excipiendas, vel Conciones habendas admittere, nisi in litteris præsentatorijs ponerent, *Obedientiam*; nec quemquam illorum consecrare in Presbyterum, nisi intra consecrationem, obedientiam ipsi profiterentur, vt inferiùs in tertio Dubio.

19 Eandem obedientiam voluit sibi promitti à quolibet Regulari exempto benedicendo in Abbatem, vt pariter inferiùs.

20 Quibus in facto præmissis, videtur respondendum tam in primo, quam in secundo dubio, seruandum esse solitum: etenim dicta duo dubia pari passu

 ambu-

ambulant, nec vllam videntur pati difficultatem.

21 Primò, quia illa non sunt per se mala, nec scandalosa; nec vllo Canone, vel Apostolica sanctione prohibita: si enim essent mala, aut prohibita, D. Archiepiscopus non posset illa pro libitu, & beneplacito suo concedere, pro vt sæpè facit.

22 Secundò, sunt fundata in antiqua, & immemorabili consuetudine, non solius Belgij, sed totius Germaniæ, & Ditionis Leodiensis Belgio conterminarum, necnon Hispaniæ, & Lusitaniæ.

23 Quæ ab omnibus Prædecessoribus D. Archiepiscopi, cæterisq; Belgij Episcopis nunquam improbata, sed laudata fuit.

24 Necnon à Carolo Quinto (qui Concilium Prouinciale Coloniense, in quo firmatur dicta consuetudo, vt infra dicetur §. 29. Imperiali authoritate comprobauit Bruxellis die 4. Iulij 1549.) Archiducibus Alberto, & Isabella, Gubernatoribus Generalibus Belgij, & alijs Magistratibus, qui frequentissimé istis Processionibus interfuerunt, & Ecclesias vbi erat expositum Sanctissimum Sacramentum visitarunt; imò, & Episcopi in eodem Altari sæpe celebrarunt.

25 Ab ipsa Regina tunc Regente Hispaniarum in litteris datis ad D. Gubernatorem Generalem Belgij, *Summ. num. 6.* in quibus dicit, *esse certum, quod Archiepiscopus voluerit introducere nouitatem contra vsum, cum satisfactione zelantiorum Catholicorum, ab immemorabili tempore seruatum.*

26 Et ab ipsis Consilijs Status, & Priuato Belgij, qui sæpe declarauerunt, istam consuetudinem seruandam; & notanter Consilium Priuatum in suis litteris datis ad D. Archiepiscopum supra relatis in *Summ. num. 7.*

27 Attestationes datæ in *Summ. num. 2.* & allæ (quæ breuitatis causa dantur originaliter in manibus Reuerendiss. D. Secretarij) probant illam consuetudinem exponendi Sanctiss. Sacramentum, & cum eo circumferendi Sanctorum Imagines, ac Reliquias, & quidem sine cuiusquam licentia, seruatam esse in toto Belgio, idque testantur non solù Regulares sed & omnes Magistratus Vrbium dicti Belgij Diœcesis Mechliniensis, Antuerpiensis, Gandauensis, Iprensis, & alij, vt in *Summ. numer. 12.*

28 Est enim illa peculiaris deuotio erga Sanctiss. Sacramentum in omnibus Regnis, & Ditionibus Augustissimæ Domus Austriacæ, vt probant attestationes factæ Viennæ, Pragæ, Moguntiæ, Coloniæ, Salisburgi, & alijs Ciuitatibus Germaniæ, *Summ. num. 13.* & Ditionis Leodiensis (vbi primò institutum est festum SS. Sacramenti) in quibus eadem viget immemorabilis consuetudo, *Summ. num. 14.* & etiam Hispaniarum, & Lusitaniæ, *Summ. num. 15.*

29 Et consuetudinem circumferendi Imagines cum Vener. Sacramento viguisse ante annum 1549. testatur, eamq; confirmauit Concilium prouinciale Coloniense celebratum eodem anno *Summ. num. 16.* publicatum, & receptum in Belgio, iuxta ordinationem Caroli Quinti [quæ tom. 14. Conciliorum præfigitur præfato Concilio] his verbis: *Quam ob rem, & Sanctorum Reliquias, & Imagines eorum, qui vestigia eius secuti sunt simul* (cum illa Hostia salutari Corporis Christi) *circumferimus*: tunc enim temporis Mechlinia, Bruxellæ, Louanium, & notabilis pars Belgij erant subdita Episcopo Leodiensi Suffraganeo Coloniensi, & solùm anno 1559. institutus est Archiepiscopatus Mechliniensis, & alij Episcopatus in Belgio à fæl. mem. Paulo IV.

30 Ad plenam, & indubitatam fidem illius, sufficiebat pro Belgio epistola Reginæ tunc Regnantis ad Gubernatorem Generalem Belgij, in qua asserit, *nouitatem Archiepiscopi esse contra consuetudinem immemorabilem*, & ex illa esse exorta, & noua oriri posse scandala; ideòq; vrget, vt (Suæ Sanctitatis authoritate) huiusmodi mala, & diffidia tollantur, ne radices agant: cui Reginæ Regenti, dignitate, & altitudine præeminenti, credendum est, *Salon. de Pace conf. 33. num. 1. Menoch. conf. 100. num. 24.* vbi de Carolo Quinto; & præcipuè in casu nostro, in quo non est nuda, & simplex assertio, sed est innixa informationibus missis à Consilio Status, & Consultationibus primariorum Theologorum Belgij, vnà cum rationibus ab ipso D. Archiepiscopo exhibitis, & ad eandem Reginam Regentem transmissis, Decius *in auth. si quis in alio num. 41. C. de eden. Spad. conf. 173. num. 114. & seqq. tom. 3.*

31 Eiusmodi autem consuetudo est melior titulus, qui Mundo possit allegari

c. su-

c. super quibusdam §. *praterea, & ibi Gloss. verb. non extat memoria. de verb. signific.* Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell. gloss.* 34. *num.* 4. *Rota decis.* 97. *num.* 2. *&* 169. *num.* 1. *coram Bichio*; habet enim vim iusti tituli, & priuilegij Apostolici *d. decis.* 169. *num.* 2. Sperell. *decis.* 37. *num.* 10. & includit priuilegium Papale. Cels. *decis.* 32. & cum eo pari passu ambulat. *Gabriel. de praescript. conclus.* 1. *num.* 3. etiam in his quae reseruata sunt Principi (qualis non est expositio Sanct. Sacramenti, aut eius cum Imaginibus delatio) *Gloss. in c. innouamus in verb. Regum de censib.* Fagnan. *in cap. cum contingat num.* 7. *de for. compet.* ideò dictam consuetudinem conuellere non potuit Decretum D. Archiepiscopi.

32 Etiamsi tantum esset viginti annorum, quia aduersus longam consuetudinem nihil est faciendum, & si attentatur, reuocari debet *c. consuetudo. dist.* 12. longa autem dicitur consuetudo, quae est decem, vel viginti annorum, *tot. tit. C. quae sit long. consuet. & Gloss. in d. c. consuetudo.*

33 Et pro asserendo iure Ecclesiarum Belgij sufficeret vsus decennalis; quia pietatis intuitu, consuetudo, quae non est contra ius, spatio decem annorum praescribitur. Abb. *in c. suam, num.* 8. *de Simon.* Couarru. *variar. resol. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 3. Sperell. *decis.* 70. *num.* 7. imò ad inducendam consuetudinem contra ius alicuius particularis Ecclesiae, sufficiunt quadraginta anni. Crauett. *de antiq. tempor.* 4. *part. in princip. sub num.* 7. *in fin.* illa autem consuetudo non est praeter, nec contra ius, nec vllum praeiudicium infert vlli Ecclesiae.

34 Nec eiusmodi consuetudinem propria authoritate potuit D. Archiepiscopus abrogare, quia Episcopus in grauioribus negotijs, v. g. quae repugnant consuetudinibus vniuersalibus, nihil potest statuere absque consensu Papae. *Gloss. in cap. cum dilectus in verb. constitutus de consuetud.* Suarez. *de legib. lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 1.

35 Et minus illam, de qua quaestio, quia approbata, & confirmata fuit per Concilium Prouinciale Coloniense, cui vt dictum est supra, tunc suberant Mechlinia, & notabilis pars Belgij, nam Episcopus, imò nec Archiepiscopus potest dispensare super legibus Concilij Prouincialis, vt fatetur D. Archiep. *art.* 3. rationum exhibitarum Gubernatori Generali; minus eas abrogare, quia illae sunt à superiore respectu Episcoporum, & etiam Archiepiscopi, qui est inferior tali Concilio. *Gloss. vlt. in c. penult. de appellat. in* 6. Suarez. *de legibus lib* 6. *cap.* 15. *num.* 14. *&* 15. *& cap.* 26. *num.* 5.

36 Nec etiam quando consuetudo esset inualida, si subsit periculum scandali, tenetur enim tunc rescribere Sanctissimo Domino. Cardin. *cons.* 58. Felin. *in c. nihil. num.* 4. *vers.* 26. *de praescript.*

37 Quod in materia Imaginum statuit Concilium Tridentinum *sess.* 25. *Decreto de inuocat. & venerat Sanct.* his verbis: *Si aliquis dubius, aut difficilis abusus sit extirpandus &c. Episcopus antequam quaestionem dirimat, Metropolitani, & Comprouincialium Episcoporum sententiam expectet, ita vt nihil inconsulto Sanctissimo Romano Pontifice &c. decernatur.*

38 Conformiter isti Decreto Sacra Congregatio 13. Martij 1603. pro Nocera dè Pagani, apud Nicolium *in Flosculis verb. Processio num.* 11. respondit, quod abusus antiqui cum magna cautela tolli debeant, ne maiora scãdala sequantur: & 3. Ianuarij 1582. & 28. Martij 1596. quod si consuetudo deferendi processionaliter Sanctissimum Sacramentum feria 6. Parasceues in feretro nigris velleribus contecto, non posset absque grauiori incommodo abrogari, toleranda esset, idem Nicolius *verb. Eucharistia num.* 27.

39 Deniquè, quia quo ad processiones, nihil prorsus innouare licet in praeiudicium Regularium, nisi priùs scribatur ad S. Congregationem, & ab eadem fuerit receptum responsum, vt ab eadem S. Congregatione decretum esse 19. Aprilis 1578. & 3. Aprilis 1648. refert dictus Nicolius *in collectan. manuscript. verb. processio num.* 24.

40 Non obstante ergo Decreto Domini Archiepiscopi seruanda est dicta consuetudo, per ea quae tradit *Thomas decis.* 297. *num.* 23.

41 Etiam quia in illo Decreto desunt quae requiruntur ad essentiam legis, de cuius ratione intrinseca est vt *Religioni conueniat, Disciplinae congruat, & saluti proficiat, c. consuetudo. dist.* 1. ita vt si quaepiam, istarum conditionum deficiat

 alicui

alicui legi, aut statuto, illi non sit obtemperandum, nec obligationem induca S. Thom. 1. 2. *q. 95. art. 3. & q. 96 art. 4.* Lezana *Verb. leges. num. 7.* ratio enim finalis ipsius Decreti (quæ est veluti anima illius à qua desumi debet vis obligandi) est ne *Imagines distrahant Populi deuotionem*, & *impediant quominus soli Deo reddatur suus in solidum honor & gloria*, seu vt dicitur *art. 4. & 5.* rationum à Domino Archiepiscopo missarum ad D. Gubernatorem Generalem in Sum. num. 5. quia *Processiones in quibus defertur Venerabile simul cum Statuis Sanctorum non sunt vllo modo tolerabiles, sed maximè abusiuę, quandoquidem hoc sit diminuere gloriam & honorem Dei, ad hunc diuidendum inter ipsum, illìc realiter pręsentem, & statuam creaturę; cum tamen Apostolus dicat: Regi Sęculorum, soli Deo honor & gloria, ac si in illis Imaginibus esset aliqua Diuinitas vel virtus &c.*

42 Nam illę propositiones directè aduersantur Concilio Tridentino *sess. 25. in Decreto de inuocat. & venerat. Sanct.* vbi *mandat omnibus Episcopis, vt de legitimo Imaginum vsu Fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos, vnà cum Christo regnantes inuocare, ob beneficia impetranda à Deo per Filium eius Iesum Christum*; damnat eos qui asserunt Sanctorum inuocationem *aduersari honori vnius Mediatoris Dei &c.* statuit *Imagines, in Templis præsertim, habendas, & retinendas, eisque debitum honorem impertiendum*; & præcipit Episcopis, *vt diligenter doceant, ex omnibus Sacris Imaginibus magnum fructum percipi &c.* vt Fideles *excitentur ad orandum, & diligendum Deum &c.*

43 Deinde si illa duo motiua præcipua, quæ Dominus Archiepiscopus adducit pro causa finali sui Decreti, nempe *de vitanda distractione deuotionis Populi ad plura, & vt Deo suus honor reddatur* subsisterent, abrogandæ essent Litaniæ Sanctorum; imò expungenda essent nomina Sanctorum ex Canone Missæ, in quo Sancta Mater Ecclesia, (etiamsi Christus sit tunc realiter præsens in Altari), adhibet intercessionem Sanctorum; potioriquæ iure ex Altaribus, & Ecclesijs essent eliminandæ Imagines, quam à Processionibus; quia in Ecclesijs longè plures reperiuntur, quam in Processionibus, vbi vna aut altera ad summum defertur, & quidem cum magna distantia à Sanctissimo Sacramento.

44 Ista etiam aduersantur praxi seruatæ in Vrbe, nam (vltra quam plures Reliquias, Sanctissimasq; Imagines, & Statuas Sanctorum, quæ in omnibus illius Ecclesijs conspiciuntur) etiam in ipsis Altaribus, in quibus exponitur Venerabile Sacramentum, adsunt Sanctorum Imagines, & Reliquæ, & signanter in Basilica Sancti Petri semper illud circumstant duodecim Statuæ argenteæ Sanctorum Apostolorum, quæ non deberent tolerari, si earum præsentia *distraheret deuotionem Populi ad plura*, aut impediret, quominus *soli Deo suus in solidum honor redderetur*.

45 Denique si D. Archiepiscopus credat, quod concomitantia Imaginum cum Sanctissimo Sacramento sit maximè abusiua, & nullo modo tolerabilis (vti dicit in suis rationibus exhibitis D. Comiti de Monterey Gubernatori Generali) quà ratione Vniuersitas Louaniensis, quæ hominibus doctissimis, & timoratis abundat, quotannis statuam B. Virginis curat deferri cum Sanctissimo Sacramento in Processione solemni, & positiuè renuit obedire isti Decreto, & iteratæ prohibitioni D. Archiepiscopi? Cur ipsemet D. Archiepiscopus illam quibus, & quando vult, concedit? Certè facta non concordant verbis, sed se inuicem destruunt, & Populo occasionem præbent scandali, dum videt in vna Processione deferri Imagines solitas, in alia non; & D. Archiepiscopum vni Ecclesiæ permittere, quod alteri negat; quæ potiùs acceptionem Personarum, vel alicuius passionis æstum, quam zelum Domus Dei præ se ferunt.

46 Ex quo deprehenditur in dicto Decreto defectus alterius requisiti ad rationem veræ legis, nempe quod *proficiat saluti*, hoc est bono communi, quia non solum multas obmurmurationes, obloquia, anxietates conscientiarum, & conturbationes sua nouitate causauit, & causat in Populo, quoties omittitur expositio Sanctissimi Sacramenti, vel circumgestatio Imaginum; sed etiam retrahit Fideles à frequentatione Ecclesiarum, in quibus non fit solita expositio Sanctissimi Sacramenti, vt probant attestationes datæ Summ. *num. 2.*

47 Prætereà lex, iuxta S. Isidorum *lib. 5. cap. 3.* debet esse *secundum consuetudinem*

nem

nem Patriæ, loco, temporique conueniens; Decretum vero Domini Archiepiſcopi repugnat antiquiſſimæ conſuetudini Belgij, & omnium Ditionum conterminarum, approbatæ per Concilium Prouinciale Colonienſe.

48 Nec *loco conueniebat*; quia Bruxellis, & in alijs Vrbibus Diœceſeos Mechlinienſis, erat magna pars exercitus Hollandiæ, illiuſque Officiales, qui, vt dictum eſt ſupra, exultabant de iſto Decreto, & inſultabant Catholicis.

49 Minus *congruebat tempori*; quia tempore bellorum in Belgio ſæuientium, magis neceſſariæ erant quam vnquam Proceſſiones, frequentes Sanctiſſimi Sacramenti expoſitiones (quæ tunc ſingulis diebus in alijs Diœceſibus fiebant) & alia pietatis exercitia, vt Fideles feruentiùs orarent pro tot afflictis, & pace à Deo obtinenda.

50 Ob quas rationes omninò abſtinendum erat ab iſto Decreto: etiam quia nouitates omni ſtudio vitandæ ſunt: *pariunt enim diſcordiam, dum ab eo, quod diu æquum viſum eſt, per nouam conſtitutionem receditur, nec quare recedatur vtilitas euidens, aut alia cauſa ſubeſt*. Extrauag. *Inter cunctos. de priuile*; & vt ait Tertulianus, *nouum omne quod eſt, ſuſpectum eſt*; imò præſumitur malum text. & Gloſs. *in c. fin. de Religioſ. Domib.* Bald. *in l. rebus. ff. de conſtitut. Princip*; ſæpe numero enim mutatio, etiam in melius, maiorum malorum conſueuit eſſe principium. Lucian. *lib. 1. variar. hiſt*; ideò Cœleſtinus III. *in c. quod dilectio, de conſanguinit. & affinit.* conſultius duxit multitudini, & obſeruatę conſuetudini deferendum, quam aliud in diſſenſionem, & ſcandalum Populi ſtatuendum, quadam adhibita nouitate.

51 Et quod magis vrget, & reprobat hanc nouitatem, eſt, quod nullus Prædeceſſorum D. Archiepiſcopi, nullus etiam Epiſcoporum Belgij, nec vlla Synodus hactenus ſimilem prohibitionem fecerunt; qui, cum fuerint, & ſint ſapientiſſimi, & vigilantiſſimi, eam non omiſiſſent, ſi ad maiorem Dei gloriam, & Animarum ſalutem cedere potuiſſet, aut ad tollendos abuſus neceſſaria fuiſſet.

52 Non immoror refutandæ rationi adductæ art. 18. rationum D. Archiepiſcopi *Summ. num. 5.* contra Imaginem Sancti Michaelis, nempe quod *non habeat corpus, & non poſſit repræſentari*; quia illa damnata fuit in ſecundo Concilio Nyceno.

53 Decretum D. Archiepiſcopi iuſtificari nequit per Concilium Tridentinum, cui præcipit *vt ſe conforment Rectores Eccleſiarum*; quia nihil prorſus de iſtis duobus ſtatuit Tridentinum; imò improbat, & damnat doctrinam expreſſam pro motiuo dicti Decreti, vt dictum eſt ſupra: & *cap. 8. ſeſſ. 21.* (quod D. Archiepiſcopus adducit pro ſe *pag. 18.* ſuæ Epiſtolę paſtoralis) non tribuit Epiſcopis facultatem diſponendi ad libitum de ijs quæ ſpectant ad Dei cultum, minùs innouandi quæ antiquo vſu inſtituta ſunt, etiam vbi eſſet dubius abuſus, niſi habito conſilio Epiſcoporum Comprouincialium, & conſulto Summo Pontifice, vt ſtatuitur in fine Decreti *de inuocat, & venerat. Sanct.* Imò non poſſunt Epiſcopi dare licentiam aſſeruandi Venerabile Sacramentum in Eccleſia non Parochiali, vt adoretur à Fidelibus, ſed requiritur authoritas Sanctæ Sedis. Ricciùs *part. 4. collect. 1216*: Piaſecius *prax. part. 2. cap. 3.* & Barboſ. *in c. Sanè. de celeb. Miſſ.*

54 Decretum verò *de obſeru. & euitand. in Miſſ. ſeſſ. 22.* ſolùm loquitur de remouendis abuſibus, qui dedecent celebrationem Miſſarum, non autem de expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti, & Proceſſionibus, quas non poſſunt prohibere fieri inter clauſtra, Lezana verb. *Proceſſio nu. 8. & 9.* vbi refert declarationem S. Congregationis.

55 Nec rectè aſſeruit D. Archiepiſcopus, quod ſe conformauerit duabus Synodis Mechlinienſibus celebratis annis 1570. & 1607; quia tota ipſius diligentia non potuit inuenire vel vnum Decretum vllius Synodi Belgicæ, aut vnum exemplum in Belgio, quo prohibeatur ſimultanea geſtatio Sanctiſſimi Sacramenti, & Sanctarum Imaginum, aut Reliquiarum (de quibus nunc eſt quæſtio) vel expoſitio Sanctiſſimi Sacramenti ſine ſua licentia.

56 Nec iſtæ Synodi in ſuis Decretis loquuntur de Regularibus, qui in odioſis non

non veniunt nomine Clericorum *ord. in c.2. num.1. de consuet.* Seraphin. *decis.*607. *num*.8. & 15. minùs censentur comprehensi Ordines Mendicantium, nisi de illis facta fuerit specifica, & expressa mentio. Cohell. *ad Bull. boni regim. cap*.28. *num*.76.

57 Qui cùm notoriè immediatè subditi sint Sanctæ Sedi, exempti sunt etiam à Synodis, & constitutionibus illarum, defectu iurisdictionis in ipsa Synodo *c. nimis praua, de excess. Prelat.* Cockier. *de iurisd. in Exempt. part.*4. *q*.19. *nu*.1. Fagnan. *in c. quanto num*.55. *de offic. ord*; *& in c. quod super his. num*.28. *de maiorit. & obed.*

58 Deniq; supposito, non tamen concesso, quod Synodi ista statuissent, & obligassent Regulares; ex probata immemoriali consuetudine constaret quodnunquam fuissent vsu receptæ; vel si fuissent, per longissimi temporis vsum contrarium euanuissent.

59 Id quod confirmat D. Archiepiscopus pag.25. suę Epistolę Pastoralis, vers. *& circa*, vbi fatetur quod iam dudum, officiante ipso Archiepiscopo, in Processione annua generali Venerabile circumferebatur, ac simul Reliquię Sancti Rumoldi: prudenter autem ordinatum est in illa ampliùs non deferri Sanctissimum Sacramentum; quia est Processio *Dedicationis annua* in illis enim non solet deferri, vt videtur ex Synodis Antuerpiensi, & Namurcensi, quę in dicta Epistola pag.24. & 34. referuntur.

60 Ex dictis etiam sequitur, quod Acta Regestorum Collegiatæ SS. Michaelis & Gudulę allegata in Epistola Pastorali non possint probare licentiam petitam fuisse in executionē Decretorum vtriusque Synodi, pro simultanea gestatione SS. Sacramenti & Imaginum, cùm nullum ostendi possit, quod illam prohibeat; sed solùm quia non possunt Regulares facere Processiones extra septa suorum Claustrorum sine licentia Parochorum, quales sunt, & quidem primarij totius Ciuitatis, Domini Canonici istius Collegiatæ, à quo tamen in istis actis perperam dicitur petita licentia deferendi nonnulas Imagines.

61 Pręterea illa extracta mentionem non faciunt expositionis Sanctissimi Sacramenti, & sic quo ad hanc partem etiam suffragari nequeunt.

62 Quę, & si fauerent D. Archiepiscopo, vim non possent habere, propter vsum posteriorem contrarium tempore sufficienti ad pręscriptionem, quod solùm debet esse 40. annorum: vltimum enim Actorum est de 30. Augusti 1624. & sic vsque ad Decretum Archiepiscopale conditum 29. Augusti 1674. intercesserunt quinquaginta anni.

63 Nec etiam ipsi suffragari possunt Decreta à Sacra Congregatione aliàs edita; quibus declaratur, non licere Regularibus S. Eucharistiam exponere in suis Ecclesijs, sine consensu Ordinarij.

64 Primò Quia non fuerunt edita pro tota Ecclesia, sed pro quibusdam Diœcesibus: nec obseruantur in Belgio, Germania, Hispania, Lusitania, &c. vt constat ex attestationibus exhibitis, à n.12. & asserunt DD. citandi infra art.74.

65 Imò nec in Belgio fuerunt vnquam cognita, etiam ipsi Secretario D. Archiepiscopi; qui, si ea sciuisset, meliùs illorum allegatione suum Decretum roborasset, quam duobus motiuis in eo adductis.

66 Secundò Et, si nota fuerint (quod est probandum) potest dici quod non fuerunt vsu recepta, aut acceptata, sicut Eminentissimus D. Cardinalis Albitius in tr. de iurisdict. EE. DD. Cardinalium in *resp.q.*1.*n*.13. *pag*.61. dicit, *Concilium Lateranense* (sub Gregorio I. celebratum) *non fuisse* (quo ad exemptiones Regularium), *vsu receptum, nec acceptatum, etiam in ipsa Vrbe*: & ideò n.19. tradit, *illud non esse tanti faciendum; quia Constitutio abrogata, vel non vsu recepta allegari non potest* Rota coram Merlino *decis*.461. *in fin.*

67 Tertiò Cum nunquam fuerint publicata, non videntur posse obtinere vim legis vniuersalis, de cuius essentia est, vt promulgetur, vt in terminis Declarationum EE. DD. Cardinalium docet Bonacin. *tom*.2. *disp*.1. *quæst*.1. *p*.8. *num*.4. *vers*.2. *pars est*. Sylueira *opusc*.2. *resol*.25. *num*.8. *& seqq*. Ioan. Valer.

de

*de differ. vtriusque for. verb. absolutio, diffi. num.*10. Merollà *tom.2.c.3. n.*163. *& cap.4.num.*171. Diana *p.5. tr.2.res.*96.

68 Quartò Per vsum contrariũ illis esset derogatum;nam sufficiunt decem anni ad præscribendum contra legem non receptam, Nauatr. *cons.*8. *de constitut. in fin.* Ioan. Valer. *loco citato*.

69 Quintò Nec possunt tollere consuetudinẽ immemorabilẽ,cui nunquam censetur derogatum, etiam per Constitutiones Apostolicas, sine speciali illius mentione.Rot. *decis.*570.*nu.*2. *coram Buratt. & decis.*53,*num.*13. coram Eminentissimo Ottobono, quamuis haberent clausulam, *Sublata quacumque consuetudine*, Sperell. *decis.*37.*nu.*26. aut dictum fuisset, *quibuscumque consuetudinibus non obstantibus*, vt in terminis Conc. Tridentini.Gonzal. *ad regul.*8. *Cancell. gloss.*34. *num.*5. Barbos. *claus.*87. *num.*4. & *seqq.* vbi alios plures citat.

70 Ratio est euidens; quia non solùm immemorabilis consuetudo præsumitur habuisse bonum & fundatum initium.Fagnan. *in c. preterea num.*55.*ne Prelat. vic. su*; sed etiam antiqua: *l. quadam mulier. ff. de re vindic.* Alexand. *cons. fin. lib.*4. *per totum*, vbi quod consuetudo antiqua inducit præsumptionem tituli habiti,& habet vim Decreti & consensus.Tusc.*litt.C.conclus.*959.*num.*5.6.*&* 7. Solorzan. *to.*2. *lib.*3. *cap.*20.*num.*22.

71 Quinimò quotiescumque adest antiqua consuetudo, Sacra Congregatio talem expositionem permittit, & passim concedit litteras ad talem probationem faciendam, illam æstimando pro releuanti, vt practicatum fuit prima Aprilis 1662. in causa Minorum Conuentualium Placentię; & in alia Recollectorum pro Sanctissimi Sacramenti expositione, vt videre est ex litteris scriptis ad D. Episcopum Senonensem decima quinta Decembris 1662. in *Summario num.*17. vbi præcipitur, *vt priuilegia dictorum Fratrum, exemptiones, & consuetudines, præsertim quoad Confessiones audiendas &c. Eucharistiæ Sacramentum publicè exponendum &c. restituat cum effectu*.

72 Similiter die septima Septembris 1663. in causa Fratrum dicti Ordinis Diœcesis Sarlatensis decretum fuit, referentibus EE.DD. Carpineo,Franciotto, & Santacrucio(vt in Summario num.18.)*Licere eisdem Fratribus in proprijs Ecclesijs,in Festis principalibus Ordinis Augustiss. Eucharistiæ Sacramentum exponere absque licentia Ordinarij; in Ecclesijs verò Monialium ipsis subiectarum, non nisi de licentia; modo tamen non adsit antiqua consuetudo in contrarium.* Vbi aduertendũ,quod sufficiat antiqua consuetudo ad exponendum S.Sacramentũ.

73 In Theatro Regularium, verb. Regulares.num.1. refertur alia declaratio, qua Sacra Congregatio die secunda Iulij 1580. censuit, *licere Regularibus in Ecclesijs, & intra septa Monasteriorum suorum Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum processionaliter circumferre, & super Altari publicè adorandum exponere, ex quauis graui causa publica, vel priuata.* Idem asserit Ioan.à Cruce *lib.*3.*cap.*5. *dub.*5.*not.*2.*in fin.*

74 Denique quia in specie, circa Sanctissimi Sacramenti expositionem in multis partibus dicta Decreta non habent locum; vt de Lusitania testatur P. Antonius à Sancto Spiritu in Direct. Regular.*tract.*2.*disp.*3.*sect.*3. S.2. *n.*105. & de Ecclesijs Regularium in genere dicit Cespedes de exemptione *cap.*6. *dub.*132. *num.*3. *&* 4. Pellizarius *tom.*2.*tract.*8.*cap.*5.*num.*79. Bordon.*resol.*20. *num.*30. Ioan. á Cruce *lib.*2. *de Stat. Religion. cap.*5.*dub.*5 *notabili* 2. & nouissimè Sylueira *opusc.*2.*resol.*36. *num*14. vbi testatur de communi vsu in dicto Regno Lusitaniæ, & alijs partibus Hispaniarum exponendi à Regularibus Sanctam Eucharistiam absquę alia Ordinarij licentia, & se vidisse, quod cum Sede Vacante, quoddam Capitulum id prohibuisset, anno 1625. causa ventilata,Capitulum destitit à suo Decreto,& Regulares reliquit in sua possessione.

75 Id autem magis in casu nostro obtinere debet, quod Belgium sit cinctum Hæreticis, quorum pręcipui errores sunt circa Venerabilem Eucharistiam, cultum Sanctorum, & venerationem Imaginum; contra quorum venenum, tùm Præsules, tùm Principes aptissimum reputarunt hactenus frequentatum remedium expositionis Sanctissimi Sacramenti, & circumlationis Imaginum.

76 Et additur, quod si hæc pia deuotio non fuisset introducta, illa necesse foret introducenda, ad Plebem consetuandam in vera fide de præsentia Christi

Domini

Domini in Eucharistia, extra vsum Sacramenti, contra Lutheranos, aliosque prauos Sectarios in Belgio assiduè versantes, & ad illos ab hæresi amouendos, seu confundendos, vti Bellarmin. *tom.3. lib.4. cap.30.* dicit de Institutione Festi Corporis Christi; quia, vt ait, ex publica adoratione, & honore eximio, qui exhibetur huic Sanctissimo Sacramento, rudiores meliùs discunt in eo verè præsentem esse Christum, quam ex multis concionibus.

77 Nec attendendum est ad duo Decreta circa expositionem Sanctissimi Sacramenti nuper facta à SS. Congregationibus Rituum, & Concilij Tridentini pro hac causa: quia primum fuit latum sine inthimatione, & citatione Regularium, qui non informarunt, nec potuerunt informare Sacram Congregationem; & quod plus est, contra voluntatem, & expressam inhibitionem fœl. mem. Clementis X. qui auditis ijs quæ circa istam difficultatem fuerant illi scripta à DD. Nuntio Matritensi, & Internuntio Bruxellensi, prohibuerat ne super hisce duobus punctis quidquam innouaretur in Belgio; & statim ac sciuit Decretum illud factum esse, prohibuit ne illud expeditetur, & executioni mandaretur.

78 Secundum fuit latum in Congregatione Sacri Concilij Tridentini, nemine instante, & ex occasione Libelli supplicis porrecti, quo Regularium nomine exponebatur, Archiepiscopum omnes ferè approbationes Regularium limitare ad vnum, aut duos annos, etiamsi essent absolutè capaces, & exigere, vt qui initiantur Sacerdotio ipsi promitterent obedientiam; eaque fieri, eo quod, contra suum Decretum, exponebant Sanctissimum Sacramentum sine ipsius licentia; petebaturque tantùm in dicto Libello declarari, an ista limitatio approbationis, & exactio obedientiæ ipsi licerent: ea, inquam, occasione, vltra hæc duo dubia, adiunctum fuit tertium ab Illustrissimo D. Secretario, an liceret dicta expositio sine consensu Ordinarij, contra intentionem Regularium, qui id non petierant, nec de suo iure informauerant: & ideò etiam ab eodem Clemente Decimo prohibita fuit expeditio, & executio dicti Decreti.

79 Frustra etiam adducuntur in Epistola Pastorali ordinationes Sancti Caroli Borromei Archiepiscopi Mediolanensis, & quorumdam Episcoporum Galliæ; quia extra territorium statuentium vires extendere nequeunt *L. vlt. ff. de iurisd. omn. iudic. l. non videtur ff. de Iudic*; minùs ligare possunt Regulares ab eorum iurisdictione exemptos.

80 Deinde si in istis Diœcesibus fuisset talis consuetudo, qualis in Belgio, & alijs Ditionibus vicinis, eiusmodi Decreta non condidissent.

81 Nec fœl. mem. Clemens X. in Synodo Camerinensi prohibuisset gestationem SS. Reliquiarum, dum istius Ecclesiæ erat Episcopus; nam ob dictam consuetudinem, & alias rationes, noluit vt Sacra Congregatio Rituum quidquam aduersus illam decerneret, & Decretum contra suam interdictionem factum, expediri prohibuit, vt dictum est supra §. 77. & 78.

82 A nullo autem Episcoporum Galliæ interdicta fuit delatio Imaginum cum Sanctissimo Sacramento, ne Hæreticis ibi frequentibus arma contra vsum Imaginum præberent.

83 Sanctus Carolus quidem in septima Synodo Mediolanensi statuit, quod *nulla simulacra deferantur, sed Imagines tantùm serico panno depicta, textilique opere elaborata* vt dicitur in rationibus D. Archiepiscopi *art.8.* sed D. Archiepiscopus, ipso rigidior, prohibuit etiam delationem imaginum, vt videtur ex eius Decreto.

81 Id fortè ordinauit S. Carolus, quia talis est Ritus Ambrosianus; nulla enim videtur alia ratio, cum nulla sit differentia inter Imagines pictas, & statuas; & saltem inde videtur, quod Sanctus Præsul non crediderit, Imaginum præsentiam *distrahere Fidelium deuotionem ad plura*, & impedire *ne Deo suus in solidum honor reddatur* quod asseritur in Decreto D. Archiepiscopi.

84 Perperàm allegatur, quod tam in vna quam in altera functione interueniant abusus.

85 Primò Quia nullus specificatur, minùs probatur; & de contrario constat ex attestationibus exhibitis *num.2. & 12.* noruntque, quotquot in Belgio fuerunt, quod Populus cum magna modestia, & reuerentia stet in Ecclesijs.

86 Secundo Si, quia *in Ecclesijs Sanctissimum Sacramentum exponitur quam, frequen-*

quentissimè, vt ait D. Archiepiscopi Decretum, *& per eum abusum reuerentia Deo debita flaccescit*, prohibendę sunt Processiones, & expositiones Sanctissimi Sacramenti; eadem ratione interdicenda esset celebratio Missarum; quia illæ singulis diebus, plurimęque numero, & continuò, in varijsque Altaribus eiusdem Ecclesię, ab aurora vsque ad meridiem celebrantur; & in quibusdam locis minor tunc exhibetur reuerentia, quam tempore Processionum, aut expositionis Sanctissimi Sacramenti.

88 Tertiò Si qui sint abusus, illi tollendi sunt, & non vsus expositionis Sanctissimi Sacramenti; quia (vti, Hieronymus respondit Vigilantio varios abusus aduersus Catholicorum Ritus, & deuotionem corradenti) *paucorum culpa non praeiudicat Religioni*: tollendi sunt, inquam, abusus, si qui sint, sed debito modo, id est cum consilio Episcoporum Comprouincialium, & consulto priùs Sanctissimo Domino, vt à Prædecessoribus D. Archiepiscopi factum esse demonstrant binę Synodi ab eo adductæ alios abusus prohibentes, & pręscribitur à Concilio Tridentino *sess. 25. in Derceto de inuocatione & veneratione Sanctorum*.

89 Nostræ consuetudini non officit quod in Vrbe non circumferatur Sanctissimum Sacramentum in Processionibus, sed tantùm Imagines Sanctorum, quodque tam frequenter non exponatur sanctissimum Sacramentum; etenim *vnius Ecclesia consuetudo non subuertitur propter contrarias consuetudines aliarum*, vt ait Gloss. *in c. illud dist. 12.* & consuetudo Vrbis non obligat alias Ecclesias, nisi Summus Pontifex pręceperit illam seruari. Abb. *in c. vlt. de ferijs* Suarez *de legibus lib. 7. cap. 16. num. 6.*

90 In Vrbe abstinetur à lacticinijs diebus ieiunij, quod nō seruatur in partibus Vltramontanis: & non celebrantur Missę in Altari, vbi expositum est Sanctissimum Sacramentum: in Belgio & Germania continuò fiunt in eo Missæ ab aurora vsque ad meridiem, &c.

91 Deinde in Vrbe, Mediolani, & alijs maioribus Ciuitatibus Italię, præter Sanctissimi Sacramenti quotidianam in aliqua Ecclesia expositionem, tribus aut quatuor diebus singularum hebdomadarum in varijs Ecclesijs etiam regulariter exponitur.

92 Et in Basilica Principis Apostolorum singulis mensibus fit Processio cum Sanctissimo Sacramento.

93 Etiam Mediolani idem fuit seruatum ante tempus S. Caroli Boromæi: quia ipse in quarta Synodo *tit. de pertinentib. ad Sanctiss. Eucharist. Sacrament.* Sanxit: *vt in Processione solemni Corporis Christi, & alijs*, (quas non instituit, sed institutas reperit) *in portando Sanctissimo Sacramento singulis mensibus constitutis singuli Canonici intortitium accensum in manibus ferant*.

94 Similiter D. Cardinalis Paleottus Archiepiscopus Bononiensis quamplures eiusdem Sanctissimi Sacramenti Societates instituit, quæ prima Dominica singulorum mensium faciant Processiones cum Sanctissimo Sacramento, *quod illa die in eminenti loco Altaris ornato, & luminaribus vndique circumdato collocabitur, vt Populo meditationis, & orationis aliqua prabeatur occasio*. Ita legitur in Archiepiscopali Bononiensi *p. 3. de Sacram. Eucharist. & p. 3. de Processionib. c. 2. & c. 6.*

95 Nec potest dici, quod in istis Processionibus non deferantur Imagines; quia in labaris appensis Cruci, quæ à singulis Ordinibus Regularibus defertur in dictis Processionibus, etiam in Festo Corporis Christi, depicta est Imago, vel Beatissimæ Virginis, vel Fundatoris illorum, natiuam hominis staturam referens; & sæpè in illis quæ fiunt intrà octauam dicti Festi, & in ipsa Basilica S. Petri, incedunt pueri vestiti ad instar Sanctorum; vnde videtur non esse exclusas imagines à Processionibus, in quibus defertur Sanctissimum Sacramentū. Et quamuis illa non fierent in Vrbe; propterea non esset abroganda consuetudo Belgij, Germaniæ, Hispaniæ &c. *Scit enim Sancta Romana Ecclesia, quod nihil obsunt saluti credentium diuersa pro loco & tempore consuetudines, si illis canonica non obsit authoritas, pro qua eis obuiandum sit*, c. scit sancta. dist. 12. *& consuetudinem, qua contra fidem Catholicam nihil vsurpare dignoscitur, vult immotam permanere* c. nos consuetudinem. dist. 12.

96 Quæ Processiones, & expositiones, si in Vrbe, in fonte pietatis, & firmamento

mento Fidei, sub oculis Sanctissimi Dñi tã frequenter fiant, ad fouendam, & augendã fidē Populi, à conuersatione Hæreticorũ remotissimi; nullus est qui non arbitrabitur, illas magis necessarias, & frequentiùs faciendas esse in Belgio cincto Hæreticis, iisque, & quidem quamplurimis, ibidem quotidie conuersantibus, vt ab eorum erroribus circa cultum Sanctorum, & honorem imaginibus & Sanctissimæ Eucharistiæ Belgæ præseruētur, & in fide Catholica solidērur.

97. Et adeò vrget necessitas huius piæ, & sanctæ consuetudinis, vt nulla ratione possit abrogari, absque ingenti Hæreticorum plausu, & exultatione, ac in sua hæresi maiori obfirmatione, necnon Catholicorum perplexitate, consternatione, & animorum perturbatione, vt in suis attestationibus asserunt, non solum Magistratus Vrbium Belgij, sed & Germaniæ, illiusq; Vniuersitates, & signanter Coloniensis, & Primarij Ministri Regni Bohemiæ, ex gratia legendæ; &, si abrogaretur, flaccesceret deuotio, minueretur que confluxus Populi ad Ecclesias, vt experientia docuit, quod plusquam media pars illas non frequentauerit illo paruo tempore, quo non exponebatur, vt apparet ex attestationibus *in Summario nu.2.*

98. Quo ad tertium dubiũ videtur quoq; pro Regularibus respondendum; quia non sunt adstricti obedientiam promittere Episcopo, sed in eorum professione illam vouent solis Prælatis suis, Siluest. *verb. obedientia q.* 8. *&* 10. Lezana *to.1. c.11. nu.2.* neque illam debent ratione subiectionis; sunt enim exempti ab omni iurisdictione, dominio, potestate, visitatione, correctione, & superioritate DD. Episcoporum, vt notorium est; & Exempti habentur instar extraneorum, ac loca exempta parificantur extraneis, *c. luminoso.* 18. *q.* 2. imò locus exemptus, & locus extra Diœcesim pro eodem habentur, Gonzal. *ad reg.*8. *Cancell. glos.*43. *nu.* 182. & ideò Exempti sunt liberi ab obedientia canonica, quæ, iuxta *c. conquerente. de offic. Iud. ordin.* debetur Episcopo ab omnibus subditis, & ab ea, ad quam in ordinatione profitendam Clerici eidem subditi tenentur ex *c. quamquam dist.*23. quam soli Summo Pontifici, & nulli alteri præstare tenentur; quia illa (sicuti iuramentum fidelitatis) prestatur in signum subiectionis, & exemptioni ex diametro repugnat *c. cum olim* 2. *de priuileg. c. nimis praua,* vbi Butr. *de excess. Prælat.* Francisc. de Aretio *cons.*150. *n.*1. & Cokier. *de iurisdict. in exempt. p.*4. *q.*16. *nu.*1.

99. Propterea Sancta Sedes sæpiùs Episcopis inhibuit illam à Regularibus exposcere, & nominatim.

100. Gregorius IX. Bulla *inducimur* anno 1240. tertia in Bullario Rodriquez: *Vt nullus ex Prælatis Ecclesiarum, absque mandato Sedis Apostolicę, à Vobis* (Minoritis) *dictam obedientiam manualem præsumat exigere, districtiùs inhibemus.*

101. Quod Alexander IV. anno 1258. iterauit Bulla *Virtute conspicuos*, quæ est 98. apud Vvadingum *in Regesto to.2.*

102. Et idem Bulla *Cum Prelatos*, confirmata per Sixtum IV. in Mari Magno Carmelitarũ *art.*38. apud Lezanam, *to.*3. vetuit ne quis Prælatorum *obedientiam contra tenorem priuilegiorum Apostolicæ Sedis exigere, vel accipere præsumat*; vbi notandum, quod non solùm nequeant Episcopi obedientiam exigere, sed nec spontè oblatam recipere.

103. Clemens V. in Clement. *Frequens. de excess. Prelat.* inter grauamina, à quibus vniuersos Ecclesiarum Prælatos præcipit abstinere, illud recenset, quod *præsentatos per Exemptos ad Ordines, & Beneficia nolunt admittere, nisi præsentantes ponant OBEDIENTIAM in salutatione Litterarum quas pro præsentatione transmittunt.*

104. Iulius II. anno 1506., Bulla *Virtute conspicuos* art. 25., quæ est secunda apud Peyrinis, *Vniuersis Ecclesiarum Prælatis inhibet ne manualem obedientiam exigere præsumant.*

105. Antea expressiùs id statuerat dictus Alexander IV. anno 1255. Bulla *Conuenit vt Sacer.* & Clemens V. anno 1265. Bulla *Virtute*, idque confirmauit Sixtus IV. in Mari Magno Minoritarum art. 6. scilicet Regulares esse ordinandos *absque omni promissione, vel obligatione ipsorum ordinandorum.*

106. Idemque cautum fuit à Martino V., Eugenio IV. & præfato Sixto IV. in Mari Magno Prædicatorum art.8. apud Lezana *tom.*3.

107. Et eiusmodi promissionem per Yuonem Episcopum Carnotensem à Gof- frido

frido Abbate Vindocinensi (postea Cardinali Sanctæ Priscæ) Simoniacam censuit Vrbanus II.; quia (vt dicit idem Goffridus Epist. 2. lib. 2. ad eundem Yuonem) *non gratis impenditur, per quod homo homini subiectus efficitur.*

108 Mirum est, quod D. Archiepiscopus ita tenaciter inhæreat isti postulationi, cum Pontificale Romanum ab Vrbano VIII. reuisum fol. 64. editionis Romanæ præscribat, per Ordinantem petendum esse à Regularibus, *Promittis Pontifici, vel Prælato Ordinario tuo pro tempore existenti, reuerentiam & obedientiam?* & fol. 116. de benedictione Abbatis, ponitur interrogatio de subiectione, obedientia, & reuerentia Summo Pontifici ab Exemptis promittenda, & immediatè post additur: *Si verò benedicendus Exemptus non est, sed ab ordinario suo Pontifice benedicitur,* subiungitur etiam sequens, quæ alias omittitur, quando benedicendus est Exemptus; nempè *Vis Ecclesiæ N. & mihi eiusdem Episcopo subiectionem, obedientiam &c. exhibere?*

109. Nec suffragari potest Domino Archiepiscopo, quod fortè nonnulli Superiores aliquorum Ordinum Exemptorum in præsentatorijs, posuerint OBEDIENTIAM; aut aliqui dum initiati sunt Sacerdotes, vel benedicti sunt in Abbates obedientiam promiserint, & ista promissione tacitè renunciauerint (saltem quo ad hoc) suis priuilegijs, iuxta doctrinam Federic. de Senis *cons.* 14. & Pascecij *p. 2. c. 3. de visitat. Regular. num.* 5. quia priuilegio eiusmodi exemptionis non potest renunciari ab Exempto *c. cum tempore. de arbitr. c. 2. de in integ. restitut. & c. cum olim 2. de priuileg.* Panormit. *in d. c. cum tempore. n.* 2. Fagnan. *num.* 4. Barbos. *num.* 4. Cockier. *de iurisd. in Exempt. p. 2. q. 1. nu.* 7. Rot. *in Gracouiensi decis.* 321. *numer.* 38. apud Postium *de manuten.*, & coram Mantic. *decis.* 237. *num.* 4., & coram Gregor. XV. *decis.* 325. *num.* 23., vbi Addit. *nu.* 29. & plurimi alij, quos congessit, & sequitur Passerin. *tom. 3. de stat. homin. q.* 189. *art.* 10. *inspect.* 10. *num.* 753. Ratio est, quia priuilegium exemptionis est concessum intuitu & fauore totius Ordinis, & ideò nullus de Ordine potest illi renunciare, & Episcopo se subijcere, Barbos. *ad d. c. cum tempore nu.* 5. Abb. *in c. veniens nu.* 21. *de præscript.*

110. Nec totus Ordo, sine consensu Sanctæ Sedis etiam, tacitè, & indirectè. Paul. de Castro *cons.* 432. Roman. *cons.* 369. *num.* 19. Abb. *in c. graue num.* 3. *de offic. Ordinar.* Fagnan. *in c. quod super num.* 18. *de maiorit. & obedient.*: interest enim Papæ, ne sua iurisdictio perdatur, aut minuatur. Abb. *in c. 1. num.* 19. *de re iudic. & c. de terra. num.* 5. *de priuileg.* Syluest. *verb. exemptio num.* 11. Rot. *decis.* 461. *num.* 21. *p.* 5. *rec.* Gail. *lib.* 1. *obser.* 40. *num.* 4. *& seq.*

111 Alias addit rationes Rota in decisione vnius Vlissiponensis Monasterij coram Coccino 19. Nouembris 1625., ob quas resolutum fuit, nec Commissarium Generalem Sancti Francisci, nec totam Religionem potuisse subijcere Episcopo Monasterium Monialium Sanctæ Sedi immediatè subditum, nec ipsas Moniales in id consentire. Illa refertur à Lezana *in Mari Mag. Carmelit.* §. 33. *num.* 265.; ideò nulla renunciatio valida esse potest, nisi approbetur à Sancta Sede. Sanchez. *tom. 2. cons. lib. 6. c. 9. dub. 1. num.* 35. Lezana *ad d. Mare Magnum. num.* 280.; & doctrina Federic. de Sen. ab omnibus reprobatur, vt dicit Cockier *loc. citat. num.* 1.

112. Præterea Decretum irritans appositum dictæ exemptioni annullauit omnia quæ contra illam attentata sunt, & infecit quamcumque possessionem, vel præscriptionem, seu consuetudinem contrariam, impediuitque ne ipsa nasceretur. Rota *decis.* 17. *num.* 9. apud Cels. R. P. D. de Luca *tom. 3. de iurisd. discurs.* 25. *num.* 8.

113. Non obest etiam Regularibus, quod post exemptionem sibi concessam remanserint subditi Episcopis quo ad Ordines suscipiendos; quia obligatio suscipiendi Ordines non respicit potestatem iurisdictionis Episcopalis, quæ sola obedientiam exigit; sed potestatem Ordinis, quæ in Ordinum collatione habet vnum & eundem finem, ipsis Episcopis, & Sacerdotibus communem, qui est Sanctissimæ Eucharistiæ consecratio, in qua vniuersi Præsbyteri sunt pares, quandoquidem eorum authoritas à Deo dependeat; ad quem finem Episcopalis Ordinis potestas non ita proximè ordinatur ac Sacerdotiū, vt ait Barbos. *de Offic. Episc. part. 1. tit. 1. c. 1. num.* 10.; ideò noluit Sancta Sedes vt Exempti, etiamsi remanserint obligati ad Ordines suscipiendos ab Episco-

piscopis, illis obedientiam in vlla occasione promitterent, vt patet ex antecitatis Bullis, nec vt cum verbo, OBEDIENTIAM, illos in litteris præsentatorijs salutarent, d. *Clement. Frequens, de excessib. Prælat.*

114. Minus subsistit alia ratio, qua Dominus Archiepiscopus illam prætendit; nempè quod Regulares ipsi subijciantur in ijs quæ spectant ad administrationem Sacramenti Pænitentiæ, quia, vti constat ex Clement. *Dudum. de Sepult.*, & *ex Extrauag. Inter cunctos. de Priuileg.*, ante Concilium Tridentinum Regulares ad audiendas Confessiones deputabantur à suis Superioribus & solùm tenebantur ab Episcopis petere licentiam audiendi Confessiones subditorum; quam si negabant, eo ipso concedebatur à Sancta Sede: Tridentinum autem statuit, vt ab Episcopis approbentur, hoc est testificationem de eorum idoneitate, & sufficientia ad Confessiones audiendas accipiant; vt patet ex verbis ipsiusmet Concilij Tridentini *sess. 23. de Reform. c. 15.*; qua obtenta, statim Regularibus; non ab Episcopo, sed à Sancta Sede confertur iurisdictio congrua ad Sacramentum Pænitentiæ administrandum. Basseus. *verb. Confessarius 3. num. 1.* Del bene *de Immunit. p. 1. c. 14. dub. 18. Sect. 11. §. 1. num. 28. & 46.* Murga. *in Quæstionib.* Pastoralib. *P. 1. q. 2. diu. 1. num. 28.* Itaque per illud nihil acquirit iurisdictionis super Regulares, ratione cuius ipsi debeatur obedientia.

115. Obedientia enim debetur ratione iurisdictionis, & versatur in exequendis Superiorum iussionibus. S. Thomas. *secunda secundæ quæst.* 104. *art.* 1. Barbos. *alleg.* 128. *num.* 5. *de potest Episc.* Imola. *in c. his quæ. num. 2. de maiorit. & obed.*, & Fagnan. *ibid. num.* 8.; nec alio iure competit Episcopis in subditos, quam quia sunt subditi, & Episcopo subsunt, sicut membra capiti *c. cum non liceat. de præscript.* & ibi Barbos. *nu. 3. & 4.* illaque debetur in retributionem administrationis, siue regiminis, vt ait Bald. *in l. liberti. nu. 10. & 11. de oper. liber.*, & Lotterius *lib. 1. qu. 16. nn. 122.* Cum autem Episcopi nullam habeant superioritatem, administrationem vel directionem in Regulares, nec sint eorum capita, nullum habent ius exigendi ab illis obedientiam.

116. Nec etiam possunt Episcopi illam prætendere ratione iurisdictionis illis commissæ per concilium Tridentinum, & alias Constitutiones Apostolicas posteriores, quibus Regulares in certis casibus subduntur Episcopis.

117. Tùm quia illa conceditur solùm in casibus particularibus, & *præsertim* transgressionum, & ideò non potest afficere vniuersitatem Religiosorum, sed solos trangredientes: nec existit in Episcopo nisi post transgressionem, ante quam non posset exigere obedientiam si debita esset.

118. Tum etiam quia cum sit delegata, eam exercent, non iure proprio, sed nomine Papæ: qui enim mandatam iurisdictionem suscepit, proprium nihil habet, sed eius, qui mandauit, iurisdictione vtitur *L. 1. §. qui mandatum ff. de offic. eius cui mand. est iurisd.*, & habet tantum vsum, & nudum exercitium iurisdictionis penes delegantem remanentis, cuius nomine exercetur in subditos illius, & hi remanent subditi suo Ordinario. Cum ergo propriam iurisdictionem non habeat delegatus; nec etiam illi competit quod debetur ratione iurisdictionis illi qui iurisdictionem habet.

119. Nec dicatur, quod illa iurisdictio sit per legem, hoc est per Concilium, & Constitutiones Apostolicas, collata Iudici habenti ex officio iurisdictionem ordinariam, & quidem sub nomine Dignitatis Episcopalis; quo casu censetur concessa iurisdictio ordinaria; quia id forsan posset habere locum, si essent delegati ad Vniuersitatem causarum, & si in singulis locis Concilij, alijsque Constitutionibus Apostolicis, quibus attribuitur illis iurisdictio, non adderetur hæc clausula: *tanquam Delegatus Sedis Apostolicæ*; quæ indicat, illos esse tantùm Delegatos, & Sanctam Sedem sibi reseruasse iurisdictionem ordinariam. Abb. *in c. licet. de Offic. Ordin.* Bart. *in l. ambitiosa. ff. de Decret. ab ord. fac.* Maranta *Spec. p. 4. distinct. 5. num. 4.*

120. Non possunt etiam dici Regulares recidisse in iurisdictionem Episcoporum; quia, vt dictum est, illi non iure proprio, sed sibi commisso in certis tàntum casibus cognoscunt; & perindè est ac si Papa ipse cognosceret, vel specialiter alijs delegasset, vt ait Gloss. *in c. ad abolendam. de Hæretic.*; quando enim Princeps, causam demandando alicui Iudici ordinario, vtitur his verbis,

bis: *authoritate nostra*, *vel tanquam delegatus faciat*, sicuti in *c. irrefragabili. de offic. Ordin.*, & in *d.c. ad abolendam*; tantùm conceditur iurisdictio delegata. Bart. & Bald. *in l. ambitiosa*, & ibi Decius *nu.* 25. *C. de iurisd. omn. Iudic.* Maranta *loc. citat.*, Merolla *to.* 3. *disp.* 7. *de iurisd. num.* 41. *&* 47. & Schildere *de conscient. dub. tract.* 5. §. 2. *nu.* 10. *vers. oppositum*.

121 Non putant Mendicantes hic exhibendas esse Bullas suæ exēptionis, cum ea sit notoria, & Summi Pontifices in pluribus illarum declarauerint, *quidquid factum fuerit contra eorum exemptionem, vt pote notoriam, licet non allegatam, nullius roboris, & momenti esse, & pro infectis haberi debere*. Ita post plurimos alios Summos Pontifices Sixtus IV. in *Mari mag. Carmelitar. artic.* 60. *&* 71. apud Lezanam *d. tom.* 3.

122 Etiam notoria est exemptio Canonicorum Præmonstratensium ab Alexandro V. concessa anno 1409. qui pro Exemptis, à Sancta Sede, & ab omnibus Episcopis agnoscuntur; eamque testantur Chopin. *de Sac. Politi. lib.* 1. *tit.* 3. *num.* 7., & Barbos. *de potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 105. *post num.* 12. *vers. Præmonstratenses*; & ideò ipsemet D. Archiepiscopus à tempore huius litis permisit in præsentatorijs omitti (O B E D I E N T I A M) a R.D. Abbate Monasterij Parcensis eiusdem Ordinis.

Fr. Seraphinus á Iesu Maria Prouincialis Terræ Sanctæ Ord. Carmelitarum Procurator.

Sacr. Congregationi Deputatæ.

Mechlinienſis.

PRO

Regularibus Exemptis.

CONTRA.

Reuerendiſſimum Dominum Archiepiſcopum Mechlinienſem.

Facti, & Iuris.

ROMÆ, Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ. 1679.

Superiorum permiſſu.

